

„ batem, & Conventum, ut Executores institutionis hujus liberos, & quietos, ab omni
 „ querela, & postulatione pronuntiat. Dein palam recitatur ipsa iterum inst tutio ;
 „ liceat & Capitularibus, si placet, certam pecuniam pro convivio excipere, ita ta-
 „ men, ut nequid pauperibus de jure suo discedat. Quodsi accidat, hanc institutio-
 „ nem non servari, seu in una re, seu pluribus, tunc omnes fructus, & redditus montis
 „ ad Comitum Calwensium natu maximum revertantur. Qui tum in testimonium
 „ rei evidens equo insidens, & in stapedibus recte consistens aureum nummum trans
 „ turrim Wurmlingensis montis librans jaciatur, & dein cum hæredibus institutionis
 „ Executores sunt. Vespere dantur Familiæ jusculentæ carnes, & decem solidi di-
 „ missionis loco. Tunc, quidquid reliquum, coctum, seu incoctum in pauperes di-
 „ stribuitur. In hujus rei testimonium Sigilla nostra Decani, & Camerarii, Conradi
 „ Rectoris Ecclesiæ in Hufen, Conradi Incurati Ecclesiæ in Rotenburg, Bernardi Re-
 „ ctoris Ecclesiæ in Ehingen, Bernardi Incurati in Tubingen, Stehelini Incurati in
 „ Chileberg, Waltheri Ecclesiæ in Reminsheim, & Incurati Ecclesiæ in Lustnow,
 „ sunt appensa anno 1348. in crastino S. Mauritii, & Sociorum ejus.

~~~~~

## Littera Z.

### Z E H E N E N S E

**C**anonissarum Regularium apud Belgas Congregationis Windesimensis Sodalitium.  
 Hujus aliquando Venerabilem Patrem ac Dominum Martinum a Brœchhusen  
 Congregationis supradictæ Canonicum abdicato Corsendonceni Prioratus sui munere  
 in Spiritualibus Rectorem egisse legimus. Plura de Religiosa hac domo non scimus.  
 Videatur Clarissimus Hagerus de Script. Ordinis Canonici L. M. V. Martinus à  
 Brœchhusen.

### S. Z E N O N I S

**M**onasterium Canoniorum Regularium D. Augustini. Conradus Archi-Episcopus  
 Salisburgensis, Nepos Babonis Comitis Abenspergensis apud Reichenhall in No-  
 rico Canonicis Regularibus Sancti Augustini Collegium instituit, quod sancti Zenonis  
 vocant, primumque Præpositum ibi Lonzonem ordinavit. Obiit Conradus, postquam  
 XLVI. annis laudabiliter Ecclesiæ Salisburgensi præfuisse, anno 1147. Aventinus  
 lib. VI. fol. 615. & 623.

Nobiles ibi sepulti de Haslang.

*In nomine sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ego Conradus Sanctæ Juvavensis  
 Ecclesiæ Archi-Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus.*

**Q**uoniam quidem Christus, cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos  
 illius inopia ditaremur: Sic nobis intelligendum est, super hunc egenum & pau-  
 perem, ut & vestigia humilitatis ejus imitari studeamus, & ei in fratribus suis mini-  
 mis, ubi eget & pauper est, benefacere non negligamus. Itaque pauperes Christi Ha-  
 lenses Canonici, cum clamarent ad nos, aurem benignam protinus apponentes eorum  
 vocibus, effectum petitioni ex Pontificali munificentia præstitimus, ipsisque miseri-  
 cordiam fecimus, ut in die malo liberante nos Domino misericordiam inveniamus.  
 Proinde tradimus omnipotenti Deo, Beatæque Dei Genitrici Mariæ, Sanctoque Ze-  
 noni, & supradictis fratribus prædium unum & sylvam quod in Cella dicitur, quod  
 beneficium erat Comitis Cunradi, quod ipse nobis manu sua resignavit, ea de causa,  
 ut prædictæ Ecclesiæ traderemus. Quod ita distinctum est in terminis suis, qui justis  
 nominibus exprimuntur Chympergifort, Munechisfurt, Grunethal, Rintpachis, Ur-  
 sprinch, Ascheke, Peutaris. Hujus inquam prædii donationem facimus cum omni  
 jure nostro, quod ibidem habuimus, vel habere possumus, & omni utilitate quam ad  
 præsens ibidem inveniunt, & in posterum consequi possunt. Decernimus ergo ut  
 nulli omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam, aut ejus possessiones auferre,  
 vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare: sed illibata om-  
 nia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione con-  
 cessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua ergo in futurum Ecclesiastica sæcula-  
 risve persona, hanc nostræ institutionis Paginam sciens, contra eam temere venire



tentaverit, secundo, tertiove commonita non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sua dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine flammis ultricibus tradita, æternæ damnationi subiaceat. Et ut hæc nostra delegatio facta pro remedio animarum Prædecessorum nostrorum, & nostræ Salvationis obtentu rata sit ac firma in futuras generationes, auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, Beatæque Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Zenonis, nec non Patris nostri Rudberti, & nostra præsentem paginam stabilimus, & astipulatione subscriptorum testium corroboramus: quorum ista sunt nomina, Helmbertus Præpositus de Werde, Udalricus Præpositus de Illmünster, Wilhelmus Præpositus de Wiare, Cunradus Comes de Biltain, Comes Sibotho de Nuinburch & filius ejus Chuno, Otto filius Hadmari de Chuffarn, Sibotho de Surberch, & frater ejus, Menigothus Castellanus, Wilhelmus de Wagin-garberg, Leopoldus de Walde, Haufolc de Veluwen, Otto de Pongon, Cunradus de Walde, & fratres ejus, Otto & Heinricus & Leopoldus, Marchardus de Forchtenstein, & frater ejus Rudgerus, Eberhardus de Hespouve, Hermannus de Hirzperch, Marchwardus & frater ejus, Hermannus de Vagir, Ortolfus de Tolet, Cunradus de Holzhusin.

Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini, Millesimo, Centesimo, Septuagesimo septimo, XII. Calendas Octobris, Data per manum Rudgeri Notarii Domini Cunradi Salzbürgensis Archi-Episcopi, Apostolicæ Sedis Legati.

**I**n nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adalbertus Dei gratia sanctæ Saltzburgenf. Ecclesiæ Archi-Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Divina dispensante gratia in administrationem Ecclesiæ nostræ Regimini commissæ vocati, non solum matrem, verum etiam filias ab ubere materno procreatas, provida deliberatione dignum duximus pro modulo nostræ facultatis sublimare. Eapropter dilectorum filiorum nostrorum Wickmanni, cæterorumque fratrum loci sancti Zenonis in Halle precibus devicti, duas partes Decimationis, quæ nostro Juri accedere debuerunt, de Novalibus in eorum prædio, quod dicitur in Cella in plebe Vohindorff, tam in cultis quam colendis, ipsorum Ecclesiæ perpetuo Jure contulimus, eandemque traditionem memoriæ fidelium tam præsentium quam futurorum recolendam huic Chartulæ annotari & Sigilli nostri impressione signari fecimus. Quisquis igitur huic deliberationi obviare præsumpserit, Anathema sit. Hujus rei testes sunt, Arnoldus Vicedominus, Luipoldus Comes de Plagin, Megingottus Castellanus & frater ejus, Sigbotto de Surberch, Luipoldus de Walde & filius ejus Hainricus, Chuno de Werven, Eckhardus de Thann, Rudegerus quondam Vicedominus, Wilhelmus Castellanus de Plagin, Rudolphus du Snellenberg, Gotescalcus de Unzingen. Conradus de Grabinstat, Otto & frater ejus Hainricus filii Hainrici albi de Halle, Hainricus Löbheze.

Acta sunt hæc in Halle, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo, Centesimo, LXXXVIII.

**I**n nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adelbertus Dei gratia &c. Saltzburgenf. Ecclesiæ Archi-Episcopus Wigmanno Hallensi Præposito, cæterisque fratribus inibi regularem vitam professis in perpetuum. Cum suscepti Regiminis officium imponat, cumque charitatis extensio nihilominus inducat, omnibus Ecclesiarum provecibus, nos diligentius intendere; domibus tamen Religiosorum, ne pro defectu stipendiorum Christi milites Religionis vigore vacare contendant, arctiori studio nos convenit providere. Eapropter dilecti in Christo fratres petitionibus vestris, pro spe futuræ mercedis aurem pietatis inclinamus, & Ecclesiæ Hallensi in qua Deo servire Professione Canonica disposuistis, Prædecessorum nostrorum beatæ recordationis Cunradi Senioris, Eberhardi, Cunradi Moguntini Pontificum vestigia sequentes, quicquid justæ donationis titulo possidetis vel possidebitis, Ecclesiarum, Capellarum fundatarum, vel fundandarum regimini & juri vestro in Diocesi vestra permaneant, Territoria prædiorum cultorum vel incultorum, seu aliarum quarumcunque possessionum conquesta, scripto præsentis paginæ roborando confirmamus, & confirmando rata vobis teneri decernimus. Insuper allodium quod in Cella dicitur, cum terminis manifeste distinctis, cultis, & incolendis, ac Capellam sumptibus vestris in eodem loco constructam, cum juris integritate decimarum cæterorumque omnium, quæ in præsentem possidet, vel de futuro consequentur, pro remedio animæ nostræ & Prædecessorum nostrorum tradimus, omnipotenti Deo, Sanctoque Zenoni & suprædictis fratribus, petente hoc & consentiente majoris Ecclesiæ Saltzburgenf. Præposito Gundaskaro, cum

Chori



Chori Capitulo, quo Parochiam in Vahendorff, in cujus terminis jam dicta Capella sita dignoscitur, canonicè possederunt. Ad indemnitàtem ergo præfata Parochiæ dimidium mansum Miesenbach, in loco qui Hirisbühel dicitur, à præmemoratis fratribus recepimus, & pro legali concambio ad usum Ecclesiæ Matricis ordinavimus. Concedimus itaque præfenti Præposito Wigmanno, omnibus Successoribus suis, canonicè substitutis, quatenus in præfata Capella, quam ab omni Jurisdictione & Districto Matricis Ecclesiæ eximimus, & liberam facimus, juxta Dei timorem, pro suæ voluntatis arbitrio, non solum temporalia, verum etiam spiritualia libere secureque dispensent & ordinent. Statuimus ergo, ut nulli prorsus mortalium sæpe dictam Ecclesiam, liceat temere perturbare, sed omnia illibata sibi cum pacis, & quietis tripudio, perenniter conferventur. Per nos quoque Deo cooperante ipsam consecrantes Ecclesiam eodem prædio, cum omnibus appendiciis suis, & omni decimarum integritate, Pontificali auctoritate, ac liberalitate, in perpetuum dotatam esse decrevimus. Si quis autem hujus Institutionis nostræ paginam, quam forma Sigilli nostri communimus, & Prælatorum nostrorum, Cleri Ministerialiumque nostrorum, testimonii favore stabilimus, cassare tentaverit, ultrices flammæ, si non resipuerit, in districtiori examine sine spe redemptionis sustinebit.

Ego Adelbertus Saltzburgen. Archi-Episcopus SS.

Ego Chundacherus Saltzburgen. Præpositus & Archi-Diaconus SS.

Ego Rudolphus Decanus Majoris Ecclesiæ Saltzburgen. SS.

Ego Bernhardus Petersgad. Præpositus SS.

Ego Sigboto Chiemsfen. Præpositus SS.

Ego Otto Bamburgen. Præpositus & Archi-Diaconus SS.

Ego Berchtoldus Garzen. Præpositus SS.

Ego Pabo Ouvenfis Præpositus SS.

Ego Albanus Seunenfis Abbas &c.

Ego Aribo Reichspergenfis Præpositus SS.

Ego Leopoldus Burenfis Abbas SS.

Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini MCLXXXV. residente Domino Alberto Saltzburgenfi Archi-Episcopo, in solemnè Capitulo, apud Lauffen habito, XVII. Calendas Decembris præsentibus & assentientibus Præpositis & Abbatibus, supra in inscriptionibus suis annotatis, & Laicis quam plurimis.

## ADDITIONES.

### Confirmatio Ordinis & Foundationum Monasterii per *Lucium* Papam.

**L**ucius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Lanzoni Hallensi* Præposito, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis in perpetuum. Desiderium quod ad Religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfata Ecclesiam *Hallensem* in qua divino mancipati estis obsequio, sub Beati *Petri* & nostra Protectione suscipimus, & præfatis scripti Privilegio communimus, statuentes ut in eadem Ecclesia, prout Venerabilis Frater noster *Conr. Salisburg.* Archi-Episc. ordinavit, & scripto suo firmavit, ordo Canonicus secundum Beati *Augustini* Regulam perpetuis temporibus inviolabiliter conserveatur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præfatarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Capellam Sanctæ *Mariæ Muna.* Capellam Sancti *Georgii Chirihpero.* Capellam Sancti *Martini Nane.* Capellam Sancti *Valentini Morzols.* Capellam in Castro *Plajen.* Capellam in Castro *Halla.* Aquam in Fonte *Halla,* quam dedit *Ebo.* Aquam quam dedit *Jacco.* Prædia quæ dedit *Sigboto, Unchen, & Occheim.* Prædium quod dedit *Heinricus & Pato.* *Nutzpoum.* Quartam partem decimalis salis. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut



sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino Clericus sive Laicus à vobis decimas exigere præsumat. Interdicimus etiam, ut nemini Professionis vestræ facultas sit alicujus levitatis instinctu, vel arctioris Religionis obtentu sine Præpositi vel Congregationis licentia de claustris discedere, quod si discesserit, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum sine communium literarum cautione illum suscipiat, quamdiu videlicet in Ecclesia vestra Canonici Ordinis tenor Domino præstante viguerit. Si vero secundo vel tertio vocatus redire contempserit, liceat ejusdem loci Præposito, Canonicam in eum proferre sententiam. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præposito, vel ad alterius Ecclesiæ Regimen transeunte, sive quolibet tuorum Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia vel violentia substituatur vel præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, aut pars consilii sanioris secundum Dei timorem & Beati *Augustini* Regulam Canonicè providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint, extremæ voluntati & devotioni nullus obstat, nisi fuerint excommunicati, salva tamen justitia Matricis Ecclesiæ suæ. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus bona vel possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet indebitis exactionibus vel molestiis fatigare, sed omnia integræ conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva nimirum *Salisburgensis* Archi-Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve Persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei aliena fiat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax &c. Datum *Lateran.* per manum *Baronis* Capellani. non. Aprilis. Indictione VII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXLIV. Pontificatus nostri anno primo.

### Confirmatio Ordinis & Bonorum Monasterii per *Eugenium* Papam III.

*Eugenius* Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Lanzoni Hallensi* Præposito, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod religioni & honestati convenire monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum imperitari suffragium. Eapropter dilecti in Domino Filii vestris justis petitionibus clementer annuimus, & Prædecessoris nostri felicis recordationis PP. *Lucii*, vestigiis inhærentes, præfatam *Hallensem* Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra Protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus, statuentes ut in eadem Ecclesia prout Venerabilis Frater noster *Conv. Salisburgensis* Archi-Episcopus ordinavit, & scripto suo firmavit, ordo Canonicus secundum B. *Augustini* Regulam perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascunque Possessiones, quæcunque bona in præsentiarum juste & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimalem salem, prædium quod nominatur *Svvan* cum omnibus appendiciis ad hoc pertinentibus, quod prædictus Archi-Episcopus præfatæ Ecclesiæ tribuit. Aquam in Fonte *Halla* quam dedit *Ebo*, aquam quam dedit *Jacco*, prædium quod dedit *Sigiboto Occbeim*, prædium quod dedit *Henr. Nutzpoum*. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino Clericus sive Laicus à vobis decimas exigere præsumat. Interdicimus etiam ut nemini Professionis vestræ facultas sit alicujus levitatis instinctu, vel arctioris Religionis vestræ obtentu, sine Præpositi vel Congregationis licentia de Claustris discedere, quod si discesserit nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum sine communium literarum cautione illum suscipiat, quamdiu videlicet in Ecclesia vestra Canonici Ordinis tenor Domino præstante viguerit. Si vero secundo tertiove vocatus redire contempserit, liceat ejusdem loci Præposito, vel ad alterius Ecclesiæ Regimen transeunte, sine quolibet tuorum Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia substituatur vel præponatur nisi quem Fratres communi consensu, aut pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & B. *Augustini* Regulam Canonicè providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut qui se illic sepeliri deliberaverint, eorum devotioni

&amp;



& extremæ voluntati nullus obsistat nisi forte fuerint excommunicati, salva tamen justitia Matricis Ecclesiæ suæ. Porro Capellas quæ infra terminos Parochialis Ecclesiæ fundatæ sunt, vel imposterum Deo favente fundabuntur, Regimini & juri vestro confirmamus, & ne aliquis Clericus sine Concessione vestra eas teneat, vel contra interdictum vestrum in eis ministret, Apostolica Authoritate prohibemus sicut jam dicti Prædecessoris nostri B. memoriæ Papæ *Lucii* Privilegio prohibitum esse dignoscitur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus bona vel Possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet indebitis vexationibus vel molestiis fatigare sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ Auctoritate, & Salisburgensis Archi-Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularive Persona hujus nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri JESU Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum *Transiberim* per manum *Roberti* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. & Cancellar. V. Calend. Februarii, Indictione 9. Incarnationis Dominicæ Anno MCXLV. Pontificatus vero Domini *Eugenii* Papæ III. anno primo.

### Confirmatio Ordinis & Foundationis per *Eugenium* Papam III.

**E***ugenius* Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Henrico* Præposito Ecclesiæ Sancti *Zenonis Hallensis*, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis. Quoniam sine veræ cultu Religionis nec charitatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit Apostolicæ Auctoritati Religiosas Personas diligere, & earum quieti auxiliante Domino providere. Eapropter dilecti in Domino Filii Venerabilis Fratris nostri *Conv. Salisburgensis* Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam S. *Zenonis* Ecclesiam, in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. *Petri* & nostra Protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus secundum B. *Augustini* Regulam perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Quascunque præterea Possessiones, quæcunque bona, tam ex dono præfati Archi-Episcopi Fundatoris loci vestri, quam aliorum Dei fidelium, in præsentiarum juste & canonicè possidetis aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem sitam ante Portam ejusdem Ecclesiæ cum appendiciis suis, & prædium quod dicitur *Suante*, ex dono ipsius *Archi-Episcopi*. Quicquid juris habetis in decima falis qui coquitur de Fonte *Halla*. Ex dono *Ebonis, Jacconis, & Babonis* aquas quas in eodem Fonte ad Sal coquendum habetis. Prædium situm in loco qui dicitur *Ocbeim*, cum appendiciis suis. Ex dono *Sighotonis* prædium quod dicitur *Unchen*. Ex dono *Henrici* Filii *Etecbonis* & Fratris ejus prædium quod dicitur *Nuterpöim* cum omnibus pertinentiis. Statuimus ut in Ecclesiis vestris in quibus Fratres vitam Canonicam Professi degunt, nulli omnino post factam in locis vestris Canonicam Professionem exinde liceat sine communi Congregationis permissione discedere, discedentem vero nullus audeat retinere. Si vero post secundam vel tertiam commonitionem redire contempserit, liceat ejusdem loci Præposito Canonicam in eum proferre sententiam. Sane ipsa plebs *Hallensis*, sicut à jam dicto Archi-Episcopo canonicè statutum est, à nullo Successorum suorum vobis auferatur, sed in dispositione Præpositi nostri permaneant. Adhæc adjicientes statuimus, ut Capellæ, quæ infra terminos Parochialis Ecclesiæ *Hallensis* fundatæ sunt, sicut ab ipso Archi-Episcopo rationabiliter provisum est, eidem Matri Ecclesiæ subjacent. In futuro autem, absque assensu Præpositi vestri, novas in ipsa Parochia Capellas ædificari prohibemus, salva nimirum Sedis Apostolicæ & proprii Episcopi auctoritate, sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva justitia Matricis Ecclesiæ.



Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars Consilii sanioris secundum Dei timorem & B. *Augustini* Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis, profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocæsani Episcopi Canonica justitia & reverentia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve Persona hujus nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum *Viterbi* per manum *Bavonis* S. Romanæ Ecclesiæ Subdiac. X. Cal. Octob. Indiæ. decima, Incarnationis Dominicæ An. MCXLVI. Pontificatus vero Domini *Eugenii* PP. III. anno secundo.

### Confirmatio Foundationis Ordinis, Bonorum per *Adrianum* PP. IV.

**A**drianus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Heinrico* Præposito Ecclesiæ S. *Zenonis Hallensis*, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis in perpetuum. Quoniam sine veræ cultu Religionis nec charitatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit Apostolicæ auctoritati Religiosas Personas diligere, & earum quieti auxiliante Domino providere. Eapropter dilecti in Domino Filii Venerabilis Fratris nostri *Eberhardi Salisburgensis* Archi-Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar Prædecessoris nostri sanctæ recordationis *Eugenii* Papæ, præfatum Ecclesiam S. *Zenonis*, in qua Divino mancipati estis obsequio, sub Beati *Petri* & nostra Protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum B. *Augustini* Regulam in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque Possessiones, quæcunque bona tam ex dono *Conradi* quondam Archi-Episcopi *Salisburgensis* Fundatoris loci vestri, quam aliorum Dei fidelium in præsentiarum juste & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem sitam ante portam ejusdem Ecclesiæ cum omnibus appendiciis suis, & prædium quod dicitur *Suvant*, ex dono ipsius Archi-Episcopi. Quicquid juris habetis in decima salis qui coquitur de Fonte *Halla*. Ex dono *Heinrici* Filii *Etechonis* & Fratris ejus: prædium quod dicitur *Nutzpoum* cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono *Ebonis*, *Jacconis* & *Babonis*, aquas quas in eodem Fonte ad Sal coquendum habetis prædium situm in loco qui dicitur *Occheim* cum appendiciis suis. Ex dono *Sibotonis* prædium quod dicitur *Unben*. Statuimus ut in Ecclesiis vestris, in quibus Fratres vitam Canonicam Professi fuerint, nulli omnino post factam Canonicam Professionem exinde liceat sine communis Congregationis Permissione discedere; discedentem vero nullus audeat retinere. Si vero post secundam vel tertiam commonitionem redire contempserit, liceat ejusdem loci Præposito Canonicam in eum proferre sententiam. Sane ipsa plebs *Hallensis*, sicut à jam dicto *Conrado* Archi-Episcopo canonicè statutum est, à nullo Successorum vobis auferatur, sed in dispositione Præpositi vestri permaneat. Adhæc adjicientes statuimus, ut Capellæ quæ infra terminos Parochialis Ecclesiæ *Hallensis* fundatæ sunt, sicut ab ipso Archi-Episcopo rationabiliter provisum est, eidem Matrici Ecclesiæ subjaceant. In futuro autem absque assensu Præpositi vestri novas in ipsa Parochia Capellas ædificari prohibemus, salva nimirum Sedis Apostolicæ & proprii Episcopi auctoritate. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstat, salva tamen justitia Matricis Ecclesiæ. Præterea exemptionem Personæ tuæ, & Ecclesiæ tibi commissæ à subjectione *Salisburgens.* Archi-Diaconi  
per



per Venerabilem Fratrem nostrum *Eberhardum Salisburgens.* Archi-Episcopum canonicè factam, tibi & per te Ecclesiæ tuæ auctoritate Sedis Apostolicæ confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars Consilii sanioris secundum Dei timorem & *B. Augustini* Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate & Diocæsani Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve Persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & fructum bonæ actionis hic percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Dat. *Later.* per manum *Rolandi* S. Romanæ Ecclesiæ Presbyt. Card. & Cancell. XIII. Calendas Martii. Indictione V. Incarnationis Dominicæ Anno MCLVI. Pontificatus vero Domini *Adriani* Papæ IV. anno tertio.

Confirmatio Ordinis & Foundationis nostri Monasterii S.  
*Zenonis* cum aliis Privilegiis per *Alexandrum* PP. III.

*Alexander* Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Alabrdo* Præposito Ecclesiæ *Hallensis*, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis, in perpetuum. Quoniam sine veræ cultu religionis nec charitatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit Apostolicæ auctoritati Religiosas Personas diligere, & earum quieti & tranquillitati auxiliante Domino salubriter providere. Eapropter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar Prædecessorum nostrorum sanctæ recordationis *Eugenii* & *Adriani* Romanorum Pontificum, præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub *B. Petri* & nostra Protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus qui secundum Deum & *B. Augustini* Regulam in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque Possessiones, quæcunque bona, tam ex dono *Conradi* quondam Archi-Episcopi *Salisburgens.* Fundatoris loci vestri, quam aliorum Dei fidelium in præsentiarum juste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem sitam ante Portam Ecclesiæ prænominatæ cum omnibus pertinentiis suis, & prædium quod dicitur *Svante* ex dono ipsius Archi-Episcopi. Quicquid juris habetis in decima *Sallis* qui coquitur de Fonte *Halla*. Ex dono *Heinrici* Filii *Etichonis* & Fratris ejus prædium quod dicitur *Nutzpoum* cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono *Ebonis*, *Jacconis*, *Babonis*, aquas quas in eodem Fonte ad Sal coquendum habetis aquas quas habetis in ipso Fonte an dem *Werchpret*. Curtem cum vineis in *Austria*, prædium quod dicitur *Ibingen* cum appendiciis suis, prædium situm in loco qui dicitur *Occheim*, cum omnibus appendiciis suis. Ex dono *Sigbotonis* prædium quod dicitur *Unchen*. Statuimus ut in Ecclesiis vestris in quibus Fratres vitam Canonicam Professi fuerint nulli omnino post factam Canonicam Professionem exinde liceat sine communis Congregationis permissione discedere, discedentem vero nullus audeat retinere nisi ad majorem Religionem eum constiterit ascendisse. Sane ipsa plebs *Hallensis*, sicut à jam dicto *Conrado* Archi-Episcopo canonicè statutum est, à nullo Successorum vobis auferatur, sed in dispositione Præpositi vestri permaneat. Adhæc adjicientes statuimus, ut Capellæ quæ infra terminos Parochialis Ecclesiæ *Hallensis* fundatæ sunt, sicut ab ipso rationabiliter provisum est, eidem Matrivi Ecclesiæ subjaceant. Novas autem absque assensu Diocæsani Episcopi & vestro in ipsa Parochia Capellas ædificari prohibemus. Præterea exemptiones Personæ tuæ, & Ecclesiæ tibi commissæ, à *Salisburgens.* Archidiaconi subjectione, sicut à præfato Archi-Episcopo statutum est, & Privilegiis Antecessorum



cessorum nostrorum Romanorum Pontificum roboratum tibi & per te Ecclesiæ tuæ auctoritate Sedis Apostolicæ confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi Consensu vel Fratrum pars Consilii sanioris, secundum Dei timorem & B. *Augustini* Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate & Diocæsani Episcopi Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve Persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniunt, Amen.

Datum *Benevent.* per manum *Gerbaradi* sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarii, Calendas Julii. Indiçtione 2. Incarnationis Dominicæ Anno MCLXIX. Pontificatus vero Domini *Alexandri* Papæ III. anno decimo.

### Pro Aqua in Fonte ad Monasterium dono data.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Henricus* Dei gratia Dux *Bavariæ* atque *Saxoniæ* &c. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuræ ætatis Successoribus, qualiter nos ob amorem Divinæ pietatis Fratribus Ecclesiæ S. *Zenonis*, Deo & Sanctis ibi patrocinantibus, eidemque jugiter famulantibus, aquam unam in *Salina Halla* de asserere uno haurienda, absque omni angarietione & promulgatione sententiæ quam nos in eandem aquam habuimus, in tranquillitate & absque alicujus opponente contrarietate possidendum permisimus. Si vero in hujus aquæ traditione voluntas nostra varietate dispensationeque temporis & consilii immutata fuerit, centum talenta præfatis Fratribus reddemus, & nos in supradictam aquam sententiam sicut iustitia dictaverit, in iudicio nostro in eandem aquam dandam non negabimus. Ut vero hujus paginæ ordo in supradicto conditionis pacto ratus & incommutabilis permaneat, testimonialis nostri impressio Sigilli eum corroborat. Qui autem hujus dispensationis Ordini intererant, eorum nomina sunt hæc. Comes *Pertoldus* de *Andechsfe*. *Otto* major Palatinus de *Witilinespach*, *Henricus* de *Sroupe*, *Eberhardus* de *Frichindorf*. Data *Ratisponæ*, Anno Dominicæ MCXXII. gloriosissimi autem *Henrici* Ducis *Bavariæ* & *Saxoniæ* Anno peregrinationis primo. *Baldvvinus* Notarius Domini Ducis assignavit.

### Confirmatio Ordinis & Foundationum nostri Monasterii per *Celestinum* Papam III.

*Celestinus* Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Wiemano* Præposito Ecclesiæ S. *Zenonis Hallensis*, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Religiosam vitam Professis, in perpetuum. Quoties à nobis petitur, quod Religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderii congruum suffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam S. *Zenonis* in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. *Petri* & nostra Protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Dei & B. *Augustini* Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque Possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, decimalem Salem & prædium quod nominatur *Svvan* cum omnibus appendiciis suis, aquam in Fonte *Halla*, quam dedit *Ebo*, aquam quam dedit *Jacco*,  
aquam



aquam quam dedit *Henricus Eninkil*, prædium quod dedit *Sigeboto Occbeim*, prædium quod dedit *Henricus Nutzerpoum*, Capellam *Intzella* dictam cum prædio & omnibus appendiciis suis, & omni integritate decimarum, quam Venerabilis Frater noster *Albertus Salisburgensis* Archi-Episcopus libere vobis & Ecclesiæ vestræ donavit. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in vestra Ecclesiâ Professionem, nisi arctioris Religionis obtentu, absque Præpositi sui licentia liceat ab eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Libertates quoque & immunitates, antiquas & rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas, & in Capellis in Parochia vestra sitis hæctenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Inhibemus insuper ut infra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœces. Episcopi & vestro Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis Privilegiis Romanorum Pontificum. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, subpressa voce Divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum vestrorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano Episcopo, si Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apostolicæ Sedis habuerit, ea vobis gratis & sine pravitare aliqua volumus exhiberi. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, & eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte vel excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi Consensu, vel Fratrum pars Consilii sanioris secundum Dei timorem & B. *Augustini* Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna impostero sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra fines locorum vestrorum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam aliquam temere audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & *Salisburgensis* Archi-Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularive Persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU CHRISTI, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Datum *Lateran.* per manum *Cencii* sanctæ *Luciæ* in Horthea Diaconi Cardinalis, Romanæ Curiæ Camerarii, XVII. Calend. Aprilis. Indictione tertiadecima. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XC. IV. Pontificatus vero Domini *Celestini* Papæ III. anno quarto.

### Pro Defensione Ecclesiæ per Henricum Ducem Baviariæ.

Nos *Henricus* Dei gratia Comes Palatinus *Rbeni*, Dux *Bavaria* &c. Tenore præsentium declaramus, quod nos Cœnobium S. *Zenonis* apud *Halle* situm, in nostram Protectionem recepimus specialem, ut quicumque eandem Ecclesiam in bonis suis gravare præsumperit, nobis ipsis factam esse præsumptionem hujusmodi reputemus. Mandamus ergo Judici ac universis civibus in *Halle* firmiter injungentes, ut si quis hominum dictum Cœnobium in reatibus suis gravet, vel molestare præsumat, loco nostri ipsum fideliter defendatis. Officialibus etiam nostris districtè præcipimus ut decimas in *Castuna* & de officio in *Halle*, & penes *Halle* quas eidem Cœnobio, piæ memorie *Ludovicus* Comes Palatinus *Rbeni*, Dux *Bavaria* avus noster contulit, de bonis

Tom. V. Cann. Regg. Orig. pars altera,

B b b b

nostris



nostris ei primo solvantur. Quicumque vero officialium nostrorum hoc neglexerit, nostram indignationem sentiet & offensam. Illud etiam adjicimus, ut si forte eadem bona vendere, obligare, vel quoquomodo à nobis alienare contingat, prædictum tamen Cœnobium in perceptione decimarum debeat permanere. Tibi vero Judici sub obtentu benevolentiae nostrae præcipimus, ut si apud te pro aliquo debito ipsis solvendo deposuerint quærimoniam, ipsis debitam justitiam & satisfactionem facias exhiberi. Alioquin de voluntate nostra est, ut ipsos compellant per Sacramenta Ecclesiastica ad solvendum. In cujus rei testimonium, ipsi Cœnobio dedimus præsentis litteras nostri Sigilli robore communitas. Datum in *Travenslein*, Anno Domini Millesimo, ducentesimo, septuagesimo tertio. Nonis Februarii.

### Confirmatio Bonifacii Papæ VIII.

**Bonifacius** Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii *S. Zenonis* in *Hallis*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis *S. Augustini Salisburgensis* Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulatis grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia vel alias Indulgentias vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & Monasterio prædicto indultas, sicut eas juste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. *Latevan.* V. Calend. Martii. Pontificatus nostri anno sexto.

### Confirmatio URBANI Papæ VI. omnium nostrorum Bonorum.

**Urbanus** Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii *S. Zenonis* extra muros oppidi *Reichenballensis*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis *S. Augustini Salisburgensis* Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu Personas vestras & Monasterium de *Reichenball* prædictum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus Bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati *Petri* Protectione suscipimus atque nostra, omnesque libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, vel alias Indulgentias, vobis & Monasterio vestro prædicto concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Protectionis & Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum*, V. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

### Protectio Monasterii S. Zenonis, per Ludovicum Ducem Baviaræ.

**Ludovicus** Dei gratia Comes Palatinus *Rheni & Baviaræ* &c. Judici & universis Civibus in *Halle* gratiam suam & omne bonum. Notum esse volumus vestræ universitati, quod nos Cœnobium Sancti *Zenonis* apud *Halle* situm in nostram Protectionem recepimus & defensionem, ut quicumque eandem Ecclesiam in bonis suis gravare præsumperit, nobis factum esse reputamus. Vestræ ergo mandamus universitati firmiter injungentes, ut si quis hominum antedictum Cœnobium in rebus suis gra-

vet,



vet, vel molestare præsumat, loco nostri defendatis. Decimam vero quam ipsis contulimus, Officialibus nostris præcipimus, ut eis primo de Bonis nostris solvant, quicumque Officialium nostrorum hoc neglexerit, nostram sentiet offensam & indignationem. Tibi vero judici sub obtentu nostræ benevolentiae præcipimus, ut si apud te pro aliquo debito ipsis solvendo aliquam deposuerint quærimoniam, ipsis debitam exhibeas justitiam & satisfactionem plenariam. Quod si non feceris, de nostra bona est voluntate & licentia, ut per Divina ipsos compellant ad solvendum.

### Confirmatio omnium Bonorum & Privilegiorum per *Martinum* Papam V.

**M**artinus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii S. *Zenonis* extra muros oppidi *Reichenballa*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis S. *Augustini Salzbургensis* Diocæsis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, sive alias Indulgentias, vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & Monasterio prædicto, sicut eas juste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis & communitationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum *Romæ* apud Sanctos Apostolos, V. Idus Octobris. Pontificatus nostri anno undecimo.

### Confirmatio Sanctissimi Domini nostri *Alexandri* Papæ Privilegiorum Monasterii.

**A**lexander Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii S. *Zenonis* prope oppidum *Reichenball* per Præpositum soliti gubernari, Ordinis S. *Augustini Salzburgensis* Diocæsis salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus, grato concurrentes assensu, Personas vestras & locum in quo Divino estis obsequio mancipati, cum omnibus Bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub B. *Petri* Protectione suscipimus, atque nostra, omnes quoque libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia vel alia Indulta vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem decimas, primitias, fructus, redditus, proventus, Dominia, domos, terras, vineas, hortos, prata, pascua, sylvas, nemora, possessiones, molendina, jura, jurisdictiones, & alia Bona ad Monasterium prædictum spectantia, nec non Parochiales & sine cura Ecclesias, quas eidem Monasterio unitas sive incorporatas existere, & vos in usus proprios canonice obtinere asseritis, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus, salva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ susceptionis, confirmationis, & communitationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum*, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo secundo. Decimo septimo Calendas Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.





Confirmatio Privilegiorum Monasterii I.) Zenonis,  
per *Innocentium* octavum.

**I**nnoCentius Episcopus Servus Servorum DEI. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii S. *Zenonis* prope oppidum *Reichenball*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis S. *Augustini Salisburgensis* Diocæsis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, vel alia Indulta, vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactio-num à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem decimas, primitias, fructus, redditus, proventus, domos, terras, hõrtos, vineas, prata, pascua, sylvas, nemora, possessiones, molendina, aliaque mobilia & immobilia bona, ad dictum Monasterium spectantia, sicut ea omnia iuste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio autoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus, salva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis & communitationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis DEI ac Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum *Romæ* apud S. *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo, octuagesimo sexto, tertio Nonas Julii. Pontificatus nostri anno secundo.

Confirmatio omnium Bonorum Monasterii  
per *Leonem* Papam X.

**L**eo Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii S. *Zenonis* per Præpositum soliti gubernari, prope & extra muros oppidi *Reichenball* Canonicorum Regularium Ordinis S. *Augustini Salisburgensis* Diocæsis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, vel alia Indulta, vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactio-num ab Imperatoribus, Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & dicto vestro Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem Parochiales Ecclesias & Capellas *Salisburgensis* Diocæsis, quas eidem Monasterio canonice unitas, annexas, & incorporatas esse asseritis, nec non decimas, primitias, oblationes, census, fructus, redditus, proventus, terras, domos, possessiones, jurisdictiones, & alia bona ad præfatum Monasterium pertinentia, sicuti ea omnia iuste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio autoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis & communitationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis DEI ac Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo quarto decimo. VI. Calendas Februarii. Pontificatus nostri anno secundo.

Confirmatio nostrorum Bonorum per *Julium* Papam II.

**J**ulius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito & Conventui Monasterii S. *Zenonis* prope *Reichenball*, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis B. *Augustini Salisburgensis* Diocæsis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Personas vestras & locum, in quo Divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante



stante Domino poteritis adipisci, sub B. *Petri* Protectione suscipimus atque nostra, omnes quoque libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, vel alia Indulta vobis & Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem, decimas, primitias, redditus, proventus, domos, terras, vineas, hortos, campos, prata, pascua, sylvas, nemora, possessiones, molendina, donationes, venationes, salinas, piscarias, mancipia, Dominia, infeudationes, jurisdictiones, jura etiam Patronatus, & præsentandi, venandi, piscandi, infeudandi, & alia bona ad Monasterium prædictum spectantia, nec non Parochiales & sine cura Ecclesias, quas eidem Monasterio unitas, sive incorporatas esse, & vos in usus proprios canonice obtinere asseritis, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eidem Monasterio autoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocínio communimus, salva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam sciens nostræ susceptionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI ac BB. *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum *Romæ* apud S. *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo octavo, tertio Calendas Januarii, Pontificatus nostri anno sexto.

Nomina Reverendissimorum DD. Præfulum Ecclesiæ  
S. Zenonis in Norico.

- I. LANZO electus anno Christi 1120.
- II. HENRICUS I. 1146.
- III. DIETHMARIUS 1158.
- IV. ALHARDUS 1169.
- V. ADEHARDUS 1174.
- VI. WEICHMANNUS 1191.
- VII. CONRADUS I. 1197.
- VIII. ERHARDUS 1202.
- IX. PABO 1212.
- X. LUITHALUS.
- XI. RUGERIUS.
- XII. HENRICUS II.
- XIII. HUGO.
- XIV. THEODERICUS.
- XV. POLYRINUS anno 1277.
- XVI. CONRADUS II. cognomento Reinperfi 1299.
- XVII. FRIDERICUS 1309.
- XVIII. HENRICUS III. 1325.
- XIX. OTHO I. 1334.
- XX. ULRICUS Puchmeyr 1345.
- XXI. CHRISTIANUS I. electus anno 1350. præfuit annis 49.
- XXII. OTHO II. electus anno 1399.
- XXIII. CHRISTIANUS II. electus anno 1400.
- XXIV. OTHO III. anno 1401.
- XXV. CONRADUS III. 1412.
- XXVI. PAULUS I. 1430.
- XXVII. JOANNES I. Kolb 1432.
- XXVIII. JOANNES II. Prunleittner 1465.
- XXIX. JOANNES III. Weinfelder 1470.



XXX. LUDOVICUS Ebner, primus Præpositus Infulus, Decretus Episcopus Chiemenfis.

XXXI. JOANNES IV. Peunteker 1498.

XXXII. OSWALDUS Fer 1505.

XXXIII. WOLFGANGUS I. 1515.

XXXIV. PAULUS II. Rothofer 1526.

XXXV. ERASMUS Sirubeck 1553.

XXXVI. ANDREAS Hærtl 1559.

XXXVII. WOLFGANGUS II. Neuhauser 1562.

XXXVIII. MELCHIOR Donnawer 1592.

XXXIX. LEONARDUS Agricola 1599.

XL. GEORGIUS I. Berreitter 1613.

XLI. GEORGIUS II. Reitmeir 1615.

XLII. BERNARDUS I. Piscator 1628.

XLIII. BERNARDUS II. Rottenwalder, ex supradicta urbe Reichenhallensi vicina, sexagenario major adhuc tamen indefessus totis viribus rerum strenue fategit, dum singulari Zelo, & industria Collegium longævo superiorum temporum decursu mille damnis, & periculis gravissime divexatum primævo vigori suo felicissime restituit, nostris adhuc temporibus constitutum.

### Z E V E N N A

Vide Tzevenna sub Littera T. ubi brevem hujus Canoniam notitiam habebunt Lectores.

### Z O B B T E N S I S

Præpositura Canonici Apostolicique nostri Ordinis per Præpositum cum uno Curato gubernari solita hisce nostris temporibus, subest illa Reverendissimo Vratislaviensi Præsuli in Arena. Foundationis tamen initia, Fundatores & reliqua ad accuratiorem Historiam pertinentia nos latent. Distat haud procul Vratislavia.

### Z O N E B E C K A

Hæc Abbatia Canoniorum Regularium Ord. S. Augustini, duabus ab Ipra Milliariibus, Diœcesis olim Morinensis, nunc Iprensis, Titulo B. MARIE insignitur. Fuit autem ab initio Præpositura tantum, & quidem haud plurium quam trium Canoniorum, Auctore Fulboldo seu Fulpoldo Castellano Iprensi, pro animæ suæ salute, Ramburgis Uxoribus, Filiorum & Antecessorum suorum, ut patet ex Charta Drogoni Episcopi Morinensis hanc Foundationem confirmantis anno 1072. apud Miræum novæ Editionis pag. 1133. & in Appendice nostra. Deinde vero Theobaldus Fulpoldi Filius non modo Foundationem approbavit, sed ad numerum septem Canoniorum auxit ex propriis bonis: Tandemque ad Abbatialem Dignitatem provecta est anno saltem 1142. uti palam fit ex Bulla Innocentii II. Arnulfo Abbati Sonnebecensi inscripta, qua Monasterii Privilegia confirmat hoc anno: & statuit ut ordo Canonicus secundum B. Augustini Regulam & Institutionem Fratrum de Aridagamantia (Arroasia) perpetuis temporibus ibidem observetur. Exstat hæc Bulla in Editione novissima operum Miræi pag. 1163. Dirutum est hoc Monasterium per tumultus Bellicos Anno 1578. quod adhuc tamen perseverat.

### Series Abbatum.

LAMBERTUS Filius Theobaldi alterius Fundatoris, fuit primus Præpositus Sonnebecanus ab anno saltem 1110. quo memoratur in Bulla Paschalis II. Foundationem approbantis, apud Miræum pag. 1152. Deinde anno Præposituræ suæ quarto factus est Episcopus Noviom. ac Tornacensis ex notis Editoris operum Miræi, ibidem, pag. 1164. ubi etiam obiisse dicitur anno 1123.



I. ARNULFUS ex secundo Præposito memoratur Abbas anno 1142. in Bulla Innocentii II. cujus supra mentionem fecimus.

II. DANIEL secundus Abbas 1153.

III. JOHANNES I. anno 1179. is profecto Johannes, qui ex Abbate de Sunebecca vocatus est ad Abbatiam S. Bartholomæi de Ekout in Belgio, ex Epist. Stephani Tornac. 269.

IV. FUMALDUS 1210.

V. JOHANNES II. 1230.

VI. JOHANNES III. 1257. & 1267. quo anno super decimis de Morselede compromisit cum Waltero Decano Tornacensi, memoratur adhuc anno 1268.

VII. HENRICUS Asceta Montis S. Eligii factus est Abbas in Zunebecca, ex Catalogo Virorum Illustrium Montis S. Eligii.

VIII. HUGO 1305. & 1324.

IX. INGELRAMUS I. 1346.

X. JOHANNES IV. Claërbout 1360.

XI. INGELRAMUS II. 1393.

XII. VICTOR 1408.

XIII. JOHANNES V. Ladinoet 1429.

XIV. JACOBUS I. van Campen Decretorum Doctor assumptus ex querceto 1440. & 1455. in Archivo Remensis Archi-Episcopi.

XV. ELIGIUS de Vacht, electus 1470. cessit anno 1490.

XVI. JOHANNES VI. de spina fit Abbas 1490. Auctoritate Innocentii Papæ VIII.

XVII. GUILLELMUS I. Steelant, creatus Abbas à Leone X. anno 1516. obiit Abbas S. Winoci.

XVIII. JOHANNES VII. Calin, nominatione Caroli V. Imperatoris Abbatiam consecutus est anno 1538.

XIX. NICOLAUS Ogiers, al. Ofiers, ex Grammaio, à Philippo II. Hispaniarum Rege nominatus anno 1568. memoratur in Necrologio Nonenbosis his verbis: VIII. Idus Maij Nicolaus Ogiers Abbas de Zunnebeck dedit fenestram in ambitu. Lapidem vero sepulchrali tribus Abbatibus communi inscriptum est hoc Epitaphium: R. A. D. NICOLAUS OGIERS Strenuus Abbatiae contra Invasores Defensor.

XX. CAROLUS Boisot, nominatione Serenissimorum Principum Alberti & Isabellæ Claræ Eugeniæ renuntiatus, Abbas 1608. fato fungitur 27. Aug. 1637. Hanc habet Inscriptionem in memorato Lapide: R. A. D. CAROLUS BOISOT à vita nobilitate & diuturno Regimine spectabili. Fuerat Laudatissimus hic Abbas prius Canonicus Windesimensis. In Bibliotheca Belgica Valerii Andreae Desselii refertur illum edidisse *Orationes*, & *Instituta ad Regulam S. Augustini* pro Cœnobitis suis apparata.

XXI. BERNARDUS de Haine à Ferdinando Imperat. designatur Abbas 1638. obiit 1652. ex ipsius Epitaphio, quod sequitur: *Latet sub hoc Lapide BERNARDUS de HAENE 20. Abbas ac Toparcha de Sonnebeke, bujus Monasterii fulcimentum, Vir celsa humilitate & mortificatione conspicuus, qui ante obitum mortuus, post obitum in æternum vivere cepit anno Domini MDCLII. XIX. Cal. Febr.*

XXII. GUILLELMUS II. van Houcke, nominatus à Leopoldo Archi-Duce anno 1652. decessit eodem anno, ut fidem facit Epitaphium: *Hic jacet Reverendus Admodum Dominus D. GUILLELMUS van HOUCKE, Abbas & Toparcha de Zonnebeke ad eandem Abbatialem Dignitatem promotus, postquam diversis in locis summa cum laude munus Pastorale & Decanale obiisset, & carceres zelandicos ob Fidem Catholicam circiter triennio patienter sustinisset, tandem atatis suæ anno 63. Professionis Monasticae 44. & Abbatialis Dignitatis die 17. pie in Domino obdormivit anno Verbi Incarnati MDCLII. Requiescat in Pace.*

XXIII. HUBERTUS Wyaert sub eodem Lapide quiescit, quo Nicolaus Ogiers & Carolus Boisot cum hac Epigraphe: R. A. D. HUBERTUS WYCAERT *indecessa æconomia observatione afflicto Monasterio proficiuus. Requiescat in Pace.*



XXIV. MELCHIOR David innotescit ex Epitaphio: *Hic situs est Reverendus Admodum Dominus MELCHIOR David 23. Abbas & Toparcha de Sonnebeke, cujus mansuetudinem, sedulitatem, virtutes reliquos venerantur omnes ut variores effectus decennalis Regiminis. Obiit 3. Jan. anno Dom. 1670. ætatis 41. Prælatuæ XI.*

XXV. JACOBUS II. Piers hoc habet Epitaphium: *Hunc sibi locum sepultura elegit Reverendus Admodum Dominus D. JACOBUS Piers 24. Abbas & Toparcha de Sonnebeke, cujus in rebus agendis vigilantiam venerati sunt coætanei, mirabuntur postereri. Et Patriæ fuit, dum resedit inter Ordines Flandriæ, & Monasterio suo semper utilis, dum ejus partem in meliorem redegit formam, alteram novis ædificiis exornavit, operibus suis optatam à seculis apposuit coronidem, uti Toparchiæ jura prius divisa Monasterio coadunavit. Obiit anno Dom. 1699. 10. Martij, ætatis 70. Prælatuæ 28. Requiescat in Pace.*

XXVI. AMBROSIUS Vander Weerde à Rege confirmatur Mense Aprili 1699. tale ipsius est Epitaphium: *Sub hoc Marmore latet Reverend. Admodum ac Amplissimus Dominus D. AMBROSIUS Vander Weerde 25. Abbas ac Toparcha de Sonnebeke, Vir plane egregius, doctrina conspicuus, Consilio præstans, atque ob pietatem, sobrietatem, caritatem, humilitatem, aliasque virtutes plurimas, quibus verissimum honorum operum exemplar apud posteros in æterna admiratione merito habendus. Munus boni Pastoris in Nieukerke per 29. annos zelose obivit, inde ad pedum Abbatiale vocatus, Monasterium novis ædificiis condecoravit, & suos alimento spiritualis dulcedinis pleno usque ad mortem pavit. Obiit anno Domini 1711. die 18. Maij, ætatis 72. Prælatuæ 12. Jubilæi 22. Requiescat in Pace.*

XXVII. PATRICIUS Holuoet nominatus Abbas mense Majo anni 1711. Benedictionem percipit die 13. Septembris.

### ZSCHILLENSE sive ZSCHILLA.

De hoc Canonorum Regularium in Saxonia Monasterio, quod etiam Schilla dicitur, scribunt Annales Vetero-Cellenses. §. XXII. *Dedo (qui fuit Comes de Rochelitz proavus S. Elisabeth, & avus S. Hedwigis) Patrem suum Conradum imitatus, Monasterium solenne Canonorum Regularium fundavit in Schilla, quod hodie possident Fratres Ordinis Militarium de Domo Teutonica. Dedicatum fuit anno MCLXXXIII. Accepit autem primos Canonicos & Fratres de Sereno Monte, & primus Præpositus THEODERICUS dicebatur. Quomodo autem istud Monasterium devenit ad Cruciferos, plena de hoc habetur Historia longa apud S. Thomam in Leipzig, quam ibidem perlegi. Et ut aliquid sciatur: Fratres quidam Nobiles genere & sanguine, sed ignobiles moribus Præpositum eorum uno pede cum gladio mutilarunt, ac ita inordinate vixerunt, quod eisdem per Advocatos Marchionum Misnensium repulsis & exclusis, ipsis Cruciferis magna dona donantibus locum tradiderint; sicque ipsi Cruciferi taliter qualiter locum obtinuerunt. In hoc ipso Cænobio honorifice sepultus est piissimus Fundator, ex ventris incisione, propter nimiam pinguedinem ad tollendam aruinam à Medico adhibita mortuus. Anno Domini 1210. XVII. Kal. Sept.*

### Series Præpositorum.

- I. THEODORICUS. 1182. Obiit anno 1191.
- II. HENRICUS I. Ex Chronico *Montis Sereni* ad annum mox citatum. obiit 1200.
- III. UDO vel Otto 1248.
- IV. HEINRICUS II. 1263.
- V. REINERUS vel Wernerus. Præpositus vel Prior. 1274.
- VI. HARTMANNUS Comes in Heldringen, Magister Ordinis Teutonici.

Post Henricum primum ponitur in Chronico *Montis Sereni* WILHELMUS Sereni Montis Canonicus, qui anno 1222. Profectus est Veronam ut interesset Colloquio inter HONORIUM Papam & Fridericum Imperatorem indicto.



## ZUCHENSIS.

Canonia Ordinis Augustiniano- Canonici in Polonia, prope vel in Cracovia civitate Fundatorem habuit Illustrissimum Comitem Petrum Komiviowski Capitaneum Oswiecinensem. Occasionem fundationi facit mira ejusdem sanatio per merita B. Stanislai Canonici Regularis Casimiriensis obrenta, hujus enim, inquit Papebrochius in append. ad mensem Maij, beneficii accepti non ingratus, adiit Præpositum Ecclesiæ Sanctissimi Corporis Christi, & in villa sua hæreditaria Sucha (Zucha) dicta, Ecclesia & Monasterio ac muro non modicis sumptibus ædificato, Canonicos regulares Conventus Cracoviensis in eo fundavit, & dotavit.

## ZWOLLIS seu ZWOLLENSE.

## Mons sanctæ Agnetis.

Mons S. Agnetis, inquit Bennotus in historia sua tripartita cap. 38. apud Zwollam Monasterium Congregationis Windesimensis a nonnullis Gerardi Magni discipulis fuit fundatum circa annum. 1395. in magna quidem humilitate & paupertate spiritus. Felix plantatio, quæ tam uberes in vinea Domini fructus protulit, & Deo adjuvante, indies profert; ex hoc enim sanctissimorum certe Canonicorum Collegio viri probitate, & doctrina spectatissimi prodierunt, Thomas ille Venerabilis de Kempis nuncupatus, cujus ingenium, & pietatem illius opera totimundo notissima testantur. Joannes item de Kempis ejus Fratres natu major, cujus vitam tenuit Joannes Baschius dictæ Congregationis Canonicus, & alii, quos recenset idem Thomas de Kempis in Chronico dicti Monasterii, quod nuper edendum curavit R. Admodum Pater Heribertus Rosweidus e societate Jesu addit. Joannes Trithemius de viris illustribus Germaniæ sub anno 1495. Joannem Bruxellensem Cognomento *Mauburnum*, quem dicit fuisse Canonicum in Monasterio D. Agnetis, prope Zwollam. Verba Trithemii hæc sunt,

Joannes de Bruxellis oppido Brabantia oriundus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Monasterii S. Agnetis prope Zwollas, vir in divinis scripturis studiosus & eruditus, & secularis literaturæ non ignarus, ingenio clarus, & comptus eloquio, scripsit Volumen magnum, & non inutile ad institutionem omnium Christianorum, quod prænotavit Rosetum exercitiorum spiritualium, & sacrarum meditationum lib. 2. item de viris Illustribus sui Ordinis lib. 1. & quædam alia nobis incognita. Vivit adhuc, ut intelligo in oppido Campis socius Confessoris Monialium, & varia scribit sub Maximiliano anno 1459. Memoriam etiam specialem meretur JOANNES WAEL qui in hoc ipso Cœnobio floruit, ad quem Episcopi Paderbornensis Wilhelmi in Chronico V. Thomæ Kempensis sequens Epistola legitur: *Honorabili Viro Joanni Wael Priori Monasterii in Zwollis Tnajestensis Diæcesis tradimus & concedimus, & assignamus per præsentem, ita, quod ipse Ecclesiæ & Monasterio in Budiken, prout facultas suppetit, Congregationem convenientem virorum Deo devotorum, Canonicorum videlicet Regularium, religioni sui Monasterii in Zwollis conformium, juxta ejusdem Religionis exigentiam ibi constituat, præsertim cum S. Meynolphus ejusdem Monasterii Fundator religionis Illius creditur esse Professor, priorem seu Præpositum ipsi Congregationi præficiat prout ei visum fuerit expedire.*

Cum anno 1561. reassumpto Concilio Tridentino deliberaretur, quomodo invalescentibus in Belgio hæresibus validius resisti posset, Pius IV. Summus Pontifex paucitatem & nimiam amplitudinem Episcopatum, nec in varias exemptiones a Jurisdictione Episcoporum considerans, ad instantiam Philippi II. Regis Hispaniarum quatuor novos Episcopatus inter hos etiam Daventriensem, erexit, cum autem deessent sufficientia bona fundationis pro novis Episcopis eorumque officialibus, & pro dignitatibus novorum Capitulorum Cathedralium, Pontifex aliquot Monasteria & Præposituras suppressit, illorum fructus, redditus, & proventus Daventriensi Episcopali mensæ pro dote assignavit. Hæc fors etiam cessit Monasterio S. Agnetis, in quo V. Thomas ante centum annos suam vitam transegerat. Professionem bonorum Conventus in Monte S. Agnetis Joannes Mahusius, primus Episcopus Daventriensis, qui erat Franciscanus, non adiit, sed propter senium & adversam valetudinem anno 1570. oneri Episcopali & Mitræ renuntiavit.



Ejus autem Successor Ægidius de Monte, pariter Franciscanus anno 1570. Mahusio a Rege Catholico surrogatus, postquam ab Albano regio Governatore Belgii in mandatis acceperat, ut se de bonis Monasterii S. Agnetis informet, & ne eos novi Episcopatus alienetur, impediatur, mox post aditam Possessionem Episcopatus, etiam possessionem Conventus in Monte S. Agnetis cum onere vitalitiæ sustentationis quinque regularium Sacerdotum adiit. Ad hoc Manuscripta V. Thomæ Kempensis Joannes Ulmerius Canonicus Regularis Congregationis Windesheimensis vir jam tempore Concilii Tridentini anno 1561. eruditione ac scriptis celebris precibus extorsit, eaque in suo Monasterio Lovaniensi ad S. Martinum, in quo in Priorem seu Prælatum assumptus est, stabili sede locavit.

Hæc ex Amorto, ejusque *Certitud. moral.* pro V. *Thomæ Kempf.* Præf. §. III. desumpta sunt. ubi plura videri poterunt.

### Z W O L L E N S E II.

Aliud ibidem loci de eadem Windesheimensium Congregatione religiosum domicilium, alterius tamen sexus seu Canonissarum regularium, sed pariter devastatum, & ad usus profanos applicatum, nobis tamen adhuc probe cognitum ex eodem Chronico Montis S. Agnetis Venerabilis nostri Thomæ Kempensis in quò Capite 27. ex Venerabili Parthenone isto Zwollensi sub annum Christi 1458. quam plures sacras Virgines lethifero Epidemiæ morbo fuisse sublatas legimus. Ad dant plura, quibus major quam mihi & florentissimæ Congregationis Windesheimensis, & Daventriensis Diocesis suppetit notitia.

